



Xn. 2.



1805.

Wecker, Jo. Chn.: De conditio[n]ibus pancreatis
materialibus.

Nettmann, Jo. Fr.: Sectionis Caesareae historia.

Lasor, Carol. Philipp.: De medio philosopho.

1795.

Haeger, Jo. Fr. Theophil.: Cereolorum historia conunq[ue]
uous chirurgicus.

1805.

Kyprke, Carol. Fr. Guil.: De aneurismatum extorrorum
curationibus quae manu fiunt, et antiquis
et modernis.

Känsel, Jo. Fr. Gotthold: De honorum, quibus medici
decorantur, academicorum origine.

Schneider, Carol.: De nova herniam ruralem manus
ferramentique surandi ratione.

Hamel, Henr. Philipp: De testiculorum tabc.

Ruppicht, Fr. Guil.: De antilyssis quibusdam vegeta
bilibus.


Lemke, Wolfgang: De bituminibus variis.

Beckhaus, Fr. Guil. Ps: De vestimentorum nimis levium
effectibus nosciis generatim, operatim vers
De vestibus quarum oritur viget moda.

Keibel, Jo. G. L.: De cortice Peruviani usu medico.

Delius, Ferd. L.: De angina polyposa.





CEREOLORUM
HEKSTORIA.
EORUMQUE
USUS CHIRURGICUS.

TRACTATUS INAUGURALIS
QUEM
AUCTORITATE GRATIOSAE FACULTATIS
MEDICAE HALENSIS

PRO
GRADU DOCTORIS MEDICI
LEGITIME OBTINENDO
PUBLICÉ DEFENDET
DIE XX. MARTII MDCCXCV.

A U C T O R
IO. FRID. THEOPH. HAEGER
NEO-MARCHICUS.

H A L A E,
T Y P I S B A T H E A N I S.

Simplicium — remediorum, et facultatum, quae in
eis insunt, cognitio ita necessaria est, ut sine ea nemo rite
medicari queat.

ORIBASIUS.



V I R I S

EXCELLENTISSIMIS GENEROSISSIMIS

I. C. SEBERT

REGIS A CONSILIIS COMMERCIORUM

I. C. WESENBERG

REGIS A CONSILIIS RERUM EXTUS

GERENDARUM

B T

I. A. S E B E R T

MERCATORI CELEBERRIMO

FAUTORIBUS AETERNA PIETATE

COLENDIS

SACRUM ESSE

VULT

A U C T O R.

P R A E F A T I O.

Cum inter omnes aevi nostri scriptores quamplurimi rerum novitatibus ita oblectentur, ut ubique non solum novi aliquid exhibere verum etiam si hoc non poterint, crambem repetitam conscribere studeant, iis, qui more usitato aliquo specimine edendo coacti sunt, maxima difficultas enascitur ex amplio materiarum penu tales eligendi, quae minus recoctae atque utilitatis non plane expertes inveniuntur. Quare nonnisi paucis rationes enarrare mihi liceat, quibus permotus hocce thema elaborandum mihi sumferim.

Legibus academicis satisfacturo mihi Disputatio conscribenda fuit, et cum varia, quae huic scopo inservire potuerunt, themata animo meo reputasse ex illis, quae Cl. REILIUS Praeceptor ad cineres usque colendus in praelectionibus suis publicis de Akologia, quibus et ipse interfui, proposuit, quoddam defumere atque

que instrumenti alicujus chirurgici historiam
et usum exhibere decrevi, praecipue cum in
ipsa elaboratione ex iis, quae mihi **VIR** ille
optimus benevole suppeditabat, me haud par-
vum fructum reportaturum esse persuasus fui.
Inter haec autem praecipue mihi arridebat de-
scriptio Cereolorum, cum variae jam jam de iis
prodierint auctorum sententiae, haud raro fibi
ipsis contradicentes: veritus autem, ne laborem
aggressus sim, quem humeri vix ferre valeant,
peto atque rogo a L. B. ut vitia mea hinc in-
de obvia aequi bonique consulat, mihiique porro
faveat.

SECTIO



SECTIO I.

HISTORIA CEREOLORUM.

§. 1.

Cereolus est instrumentum chirurgicum, longum, conoideum, cylindraceum, tenue ac flexile, ex varia materia constructum, quod urethrae praesertim morbis sanandis inservit. Variis gaudet hoc instrumentum nominibus; cereus, cereum filum, specillum cereum, une bougie, Cierge, Sonde cireé dicitur.

§. 2.

Ut autem ad ipsius instrumenti ejusque usus medici descriptionem pateat via, primum quae fuerit ejus origo et quid variis in temporibus de eo senserint auctores, enarrare mihi liceat.

§. 3.



§. 3.

In antiquis scriptoribus nullum cereolorum vestigium invenimus et mirum videtur, medicos in tale instrumentum non incidisse, cum jam GALENO a) observatae fuerint carunculae in urethra obviae, quibus sanandis autem ei sufficisse videtur usus catheterum. Idem innuere videtur Aretaeus b).

§. 4.

Cuin vero saeculo decimo sexto morbus vene-
reus per totam Europam sepe propagavit et multis in
hominibus ex crescentias et coarctationes urethrae pro-
duxit, Medici coacti sunt instrumentum adhibere,
quo illas coarctationes coercere et hoc modo urinæ
liberum exitum praebere possint.

§. 5.

Primus c) qui inventorem cereolorum sepe jacta-
vit, PHILIPPUS fuit Chirurgus lusitanus, qui per totam
Europam itinera fecit, ut instrumenti sui usu et appli-
catione

a) de loc. aff. lib. I. Cap. I. P. VII. Ed. Chartierii pag.
381.

b) Lib. II. Cap. III. v. Hall. Script. med. princ. T. I. p. 103.

c) Exstat quidem locus in Gaddesden Rosa anglicana
seu Practica medicina a capite ad pedes
Paviae 1492. fol. in quo auctor cereolos jam ab anno
MCCC. in usu fuisse contendit. Quoniam autem hic
liber tot tantisque nugis et mendis scateat, ut Rosam
non anglicanam sed fatuam eum appellare non dubitet
Guido et huic asserto nullo modo credi posse existimo.

catione divitias sibi compararet d). Idem fecisse quandam ALONZO DIAZ, mercatorem lusitanum refert FRANC. DIAZ e) (Professor Alcalensis) nihilo tamen minus inventionem cereolorum Philippo adscribit. Sed contra hunc AMATUS LUSITANUS, se a praceptorre suo ALDARETE (Prof. Salamanici) hujus remedii applicationem didicisse atque Philippo anno 1541. monstrasse, confirmat. Quod assertum etiam majorem verisimilitatis speciem prae se fert; quare Amatus Lusitanus hujus remedii praecipuus propagator fuisse videtur f).

§. 6.

Atqui primus, qui hoc de remedio scripsit, esse videtur ANDREAS LACUNA segoviensis, qui postquam in bello Hispanorum contra Belgas chirurgi munere functus esset, et multas super hujus instrumenti usum observationes instituisset in libello suo g) praeter alia,

d) SPRENGEL Gesch. d. Med. T. III. p. 465. Vigilius a CREUZENFELD Bibl. chirurg. Vol. II. p. 1826. Altruct de morb. vener.

e) In Tract. de todas las enfermedades de los riñones, vexiga ii carnosidades de la verga 4 madr. 1588. Cuius perrari libri recensionem, vid. Vigil a CREUZENFELD Bibl. Chir. Vol. II. p. 1551.

f) SPRENGEL l. c.

g) Methodus cognoscendi et extirpandi excrescentes in viscere collo carunculas. Romae 12. 1551.

alia, quae contra carunculas urethrae commendavit praesidia, etiam candelas cereas commemorat, quas autem omnes eo, quo carunculam tangere debent, loco, exedente quodam emplastro instruit, falsa opinione ductus hasce carunculas ex putri carne natas esse. Sed eadem de caussa ipsi et aliis, ejus sententiam fecutis, curatio minus feliciter cessit, et incisa cadavera frequentius callum et cicatricem ex malo ulcere post gonorrhœam relictum ostendebant h).

§. 7.

Eodem quoque anno, quo LACUNA tractatum suum edidit, ALPHONSI FERRUS (neapolitanus, Pauli III. Pont. maximi medicus et chirurgus) hac de re scripsit i). Hic injectionibus emollientibus factis candelas applicari jussit, ex alba vel citrina cera confectas cum aliqua aerugininis rasae portiuncula, quam ad detergendas carunculas aptissimum esse medicamentum contendit. Neque tamen specilla ex tereti flexibilique plumbea virga confecta plane rejicere videtur. Simplicissimum deinde specillorum genus, quod primam inventioni cereolorum ansam dedisse videtur, indicat, malvarum scilicet, petroselini aut foeniculi aut alterius consimilis herbae turiones.

§. 8.

h) PLATNER Inst. Chir. p. 414.

i) De caruncula sive callo, quae cervici vesicae innascitur Romae 1551. Lion 1553. resuſ. in Uffenbach. theſaur. chir. p. 1011. seq.



§. 8.

CHRISTOPHORUS DE VEGA k) (Alcalae de Henarez natus, Professor Complutensis) et FRANCISCUS DIAZ l) (qui etiam primus cereolos ad inhibendam novam partium concretionem in urethra relinqui jubet) FERRUM in plerisque seuti sunt, et ubique caustica e. g. aeruginem, vitriolum et auripigmentum utpote cereolorum necessaria ingredientia commendant. Hanc methodum autem falsam esse et corrodentia nonnisi abusive, nulla symptomatum habita ratione, adhiberi, denique monstrabat AMATUS LUSITANUS m).

§. 9.

AMBROSIUS PARAEUS n) plerumque eandem fere methodum adhibet, quam Ferrus aliique. Immisit Urethrae fistulam incisuris excisorii ornatam, quibus primum carunculas destruxit. Deinde fistulam intrudit in urethram incisura fenestrata praeditam, ex qua abstergentis et corrodentis pulvris, quorum magnam copiam in promptu habet, loco vulnerato inspergit, et hoc modo carunculas funditus everti sibi persuadet.

Idem

k) De curatione caruncularum Salmantiae 1552.

l) lib. cit.

m) Curatt. med. Cent. II. de carunculis extirpandis.

n) Opp. Lib. XVIII, ed. lat. v. Uffenbach. Thesaur. p. 413.

Idem fere sentiunt **Fabricius** ab Aquapendente o) qui sabinam in pulverem redactam hic praestantissimam sese praebere contendit, et **JAC. DALECHAMPIUS p)**, qui usum cereolorum non tam insignem esse, quam multi credunt et interdum eos nihil praestare nisi aliquam lotii redditam libertatem. Praeterea hoc referendi sunt **ALEXANDER TRAJANUS PETRONIUS q)** (Archiater Gregorii XIII.) qui canellas medicatas recenset, neque tamen probat, **REUSNERUS r)** (poliotor nordlingenensis) qui anno 1590 visit et in libro suo, quem posthumum edidit **J. H. WELSCHIUS**, cereos ubique commendat, imo eorum viribus nimium tribuisse videtur, cathaereticos autem averfatur, et cereis oleo succini et vitello ovi imbutis solummodo carunculas urethrae aggreditur, et denique **MICH. LARIZA VALENTINUS s)**.

Jam

- o) Praelectiones chir. Lib. III. pentateuch. chir. ed. **BEYER**. Frst. 1592.
- p) Ej. Chirurgie françoise avec plusieurs figures d'instruments nécessaires pour l'operation manuelle. Lion 1559. p. 85.
- q) De morbo gallico Lib. VII. 1565. recusi in collectione Aloysii Luisini.
- r) **REUSNERI** adnotaciones et curationes curante **WELSCHEM**, Ulm 1668. 4.
- s) De chirurgia, que trada sobre las hagas en general, une escrivon G. CAULIACO con une tratada en quel ensenna el modo de curarla carnosidades que estan en la via de la urina, Valentine 1592. 8.



§. IO.

Jam ad recentiora tempora progredimur. In hisce magis magisque intellectus videntur medici, acibus suis et causticis compositionibus plus danni quam utilitatis aegrotis afferri; hinc varii e. g. NIC. ROUSSEAU t), LAZARUS RIVERIUS u) et PETRUS V. MARCHETTIS v) eas omnino rejecerunt. Alii autem periculosam illam methodum strenue defendere conabantur, quales fuere THEOD. TURQUET x), ANTON FREY y), PETRUS BORELLUS z), aliquie.

§. II.

Sed eodem fere tempore insignis inter scriptores orta fuit disputatio de existentia caruncularum. Alii enim e. g. BRUNNERUS a), DIONIS b), DE LA FAYE c), SAVIARD d), cadaverum sectionibus ostendunt

t) NIC. ROUSSEAU quaestio medica, an urethrae anguitis nocte 22 Septembris Lutet. 1614. fol.

u) RIVERII obs. med. et curatr. insignes. Delfi. 1651. Cent. I. II.

v) Marchetti de ulceribus et fistulis urethrae et de spina ventosa. Patav. 1665. 8.

x) Tract. quatuor de febribus, de morbis externis, de arthritide, de lue venerea. Genev. 1674. 12.

y) De tuberculis in fistula urinaria absumentis. Basil. 1615. 4.

z) In hist. et obs. Cent. I. obs. 79.

a) In Eph. N. C. Cent. I. obs. XCVII, p. 200.

b) In Chirurgia demonstr. III. p. 271.

c) In notis, quas Dionis libro adjecit.

d) Nouveau recueil d'operations chirurgicales Paris 1702. obs. 74. p. 324. commentées par Mr. le ROUGE. Nouvelle Ed. 1784. 8.

derunt, id, quod urinae iter praecludat, non putrem carnem sed urethrae coarctationem et cicatrices ex ulceribus persanatis esse. GIROLAMI MARINI e), et ANT. BENEVOLI f), carunculas negant quidem, sed impedimentum illud non esse cicatricem vel coarctationem, sed durum, tumens et ulcerosum caput gallinaginis, affirmant. Contra hosce autem DARMAN g), COUTWEL h), DIBON i), ANDRE' k), LAPIL l), CHEVALIER m), ALLIES n),

HEUER-

- e) GIR. MARINI pratica delle più difficile operazione che riguardano il litotomo ed oculista, a Roma 1723. 8.
- f) Nuova proposizione intorno alla caruncula dell' Urethra e della cataratta glaucomatosi, Fior. 1724.
- g) JAQUES DARMAN receuil d' observations chirurgicales sur les maladies de l'urethre Avignon 1745. 12. Paris 1746. 8. (ed. multo auctior) ib. 1757. 8. Anglice Lond. 1750. 8.
- h) Lettres sur le traité des maladies de l' urethre de Mr. DARMAN. Paris 1749.
- i) Observations sur les maladies veneriennes, Paris 1724. 8. Ej. suite de la description de maladies veneriennes, dans laquelle on traite des retentions d'urine et des maladies de l'urethre. Paris 1748. 8.
- k) Dissertation sur les maladies de l'urethre, qui ont besoin des bougies. Paris 1751. 12.
- l) L. H. LAPIL Diff. de curatione stranguria contumacis frequenter maleque tractatam gonorrhœam consequentis. Romæ 1751.
- m) Lettre a Mr. JEAN sur la maladie de St. Dominique. Paris 1752. 8.
- n) ALLIES tr. des maladies de l' urethre en contenant l'origine, les progres, la guérison de plusieurs éarnosites, retentions

HEUERMANN^o), BROMFIELD p), ARNAULT q), aliquie dari omnino carunculas urethrae ab ulceris venereis et efflorescente de cellulosa carne fungosa r), oriundas contendunt. Simulque signa ab urina diviso radio et dolore sumi jubent s). Alii adhuc prodiderunt laxari interiorem urethrae tunicaem et venas praeter modum intumescere et varicofas fieri t). Notis quidem sufficit Cel. MORGAGNI testimonium, qui in tot cadaveribus vix unam certam observationem carnae excrementiae se vidisse affirmat u).

Nihilo tamen minus eorum non solum, qui carunculas defendunt, sed etiam eorum, qui eas negant, pluraque pars corrodentibus utinur v). Quare jure meri-

tions d'urine et la composition des bougies de toute espece. Paris 1755. 12.

- o) GEORG HEUERMANN die vornehmsten Operationen des menschl. Körpers. Hafn. 1754. 8. T. II.
- p) GUIL. BROMFIELD Chirurgical Observations and cases, Lond. 1733. Germanice. Lipsiae 1774. 8.
- q) GE. ARNAULT plain and easy instructions on the diseases of the bladder and urethra. Lond. 1763. 12.
- r) ANDRE' l. c.
- s) LAPI l. c.
- t) GARENQOT Tr. des Operations, T. II. p. 20.
- u) MORGAGNI de sedibus et caussis morborum, Ebrod. T. II. p. 428.
- v) e. g. DIONIS; par de la G. FAYE; CHEVALIER l. c. aliquie,

merito annotat Cel. foot w), curationes angustationum urethrae a prima ejus origine usque ad medium fere hujus seculi vix aliquas mutationes subiisse; cereoli enim, bacilli plumbei et caustica ab omnibus ejus aevi scriptoribus promiscue commendantur.

§. 12.

Verum in initio hujus facculi SAVIARDUS x), abusum cathaereticorum iterum luculentissimis observationibus demonstravit, praecipue autem in aegroto, cui rodentia medicamenta in urethram immissa graves inflammationes, et viginti horarum spatio mortem attulisse narrat, medicis terribile exemplum mali causticorum effectus proposuit. Cujus vestigia secutus PARANIUS y), stimulantium et causticorum usui arctissimos limites posuit ac fere plane ex cereolorum compositione proscriptit. Idem fecit ASTRUC z), et quidem hisce de caussis:

- 1. quia corrodentia nonnisi in rarissimis illis casibus prodeesse possint, ubi carunculae in urethrae fedem habeant; in stranguria autem aliisque

vitiis,

w) Compleate treatise on the origin, theoris and cure of the lues venerea and obstructions in the urethra illustrated by a great variety of cases, Lond. 1792, (vid. p. 519. ed. german. quae prodiit, Lips. 8. 1793. Vol. I.)

x) l. c. n. 74.

y) L. c.

z) ASTRUC de morb. vener. p. 243. ed. 4. 1738.

vitiis, urethrae coarctationem cauſtantibus, periculofiora ſint.

2. quia cauſtica, carunculis deſtruendis deſtinata, in fane quoque urethrae parte inflammationes et ſuppurationes movente poſſint.

Quibus ipſis rationibus etiam SCHARP a) perductus fuit, ut corrodentium uſum rejeceret, praecipue poſtquam ſemel applicatione eorum facta penem, veficam et ſcrotum in inflammationem et ſphaſelum abiſſe obſervasset. Idem in damnandis, praecipue ſi morbi ſedes in posteriori urethrae parte latet, cauſticis exiſtimarunt SCHWEDIAUER b), ANDRE' c), BRONFIELD d), BELL e), et Cel. FOOT f). Contra eos autem Cel. MUZEL g), et JOAN. HUNTERUS h), inprimis cauſtica eorumque uſum tueruntur.

§. 13.

- a) SHARP critical inquiry in the preſent ſtate of ſurgery. Lond. 1780.
- b) Practical obſervations -- by J. SCHWEDIAUER.
- c) Eſſay on the theory and cure of the venereal gonorrhœa and the diseases which happen in conſequenee of that disorder Lond. 1771. 8.
- d) Chirurgiſche Wahrnehmungen durch WILL. BRONFIELD, aus dem Engl. Leipz. 1774. p. 443.
- e) Syſt of Surgery, Vol. II.
- f) Lib. cit. p. 319. seq.
- g) MUZEL med. und chir. Wahrnehmungen, 1. Samml. Berl. 1754. 8. p. 54. seq.
- h) IOH. HUNTERS Abh. über die veneſ. Krankheiten, aus dem Engl. Leipz. 1787. p. 218. seq.

§. 13.

Restat, ut varia, quae hujus saeculi scriptores de applicatione et agendi modo cereolorum prodiderunt, exponamus, inter quos praecipue eminent JAC. DARAN, qui caruncularum urethrae curationi summam operam impendit, et singularem candelarum speciem extollit, quam ipse conficit, et plerumque ex mitioribus medicamentis, interdum autem ex acrioribus compositis, uti morbus postulavit. Cerei hi i) ex basi latiore in apicem desinunt, flexiles sunt vel saltantem calore ipsius urethrae sic mollescunt, ut debitam flexibilitatem acquirant et commode ab aegris gestari possint. Suppurationem eos in urethra excitare, atque hoc modo carnes, fungosas excrecentias et verrucas consumere docet. Prodire enim sub eorum usu fluxum materiae gonorrhœicae flavae viridescentis observaverat, hinc gonorrhœam quam suppressam his malis originem dedisse statuit, excitari et quasi recentem reddi putavit.

§. 14.

Sed SAMUEL SHARP de cereolorum DARANII efficacia dubitat, et experimenta cum iis in adolescentibus, quos nunquam passos fuisse gonorrhœam certus erat, instituta enarrat, quibus vidit cereos illos in urethram immisso et post III, IV, V. horas eductos

i) Journal de médecine chirurgie et Pharmacie, Tom. II.
Juillet 1779. Paris.

eductos semper aliquam copiam materiae adhaerentis habere. Hinc conclusit, hanc materiem cereis adhaerentem non fuisse pus ulcerosum, sed mucum naturalem per cereolorum irritationem copiosius secretum; et hoc modo multos ab angore suo liberavit, qui ex periculis in se ipsis institutis strias mucosas, ideo secundum DARANII sententiam latentis adhuc mali fomitem conspexerant. Caeterum ipse quoque alios cereolos afferit, quos mercuriales vocat, quorum compositionem publicare dubitat.

§. 15.

ANDRE' k) cereolos suppurationem promoventes nonnisi in iis casibus adhibere suadet, ubi tota urethra durescit et urinae viam praecludit. Praeterea quoque singularem aliquam cereolorum speciem venalem habet, quam daranianis nihil cedere, praecipue autem ad gonorrhoeam et ad ischuriam valere confirmat.

§. 16.

Cel. ALLIES l) cereolos non pus, sed mucum ciere contendit. Praeterea contra balaenatisarum virgarum, quas aliqui ante eum commenderunt, usum in vitiis urethrae, quia dissiliunt, multum disputat, plumbaea specilla meliora esse, tamen et ipsa frangi et, simulac pars talis specilli semel in vesicam di-

B 2

lapſa

k) Lib. cit.

l) v. L. cit.

lapsa fuisset, calculo nucleus praebere, et hydragyrum frustra injici: esse, ubi febris et inflammations cereolorum usu cogent abstineri.

§. 17.

Fere idem affirmat HEUERMANN m), cereos daranianos nihil peculiare habere, optimos fieri ex chordis intestinalibus, tenero linteo obvolutis. Cel. BROMFIELD n) etiam specilla ferrea et carentia damnata; caeterum daranianorum usum commendat.

§. 18.

Cum daranianis in plerisque convenire videntur cereoli a Cel. GOULARDO o) propositi, quorum omnium mixtionem (ut infra in ipsa cereolorum descriptione pluribus docebo) init Extractum saturni, quod GOULARDO omnibus morbis sanandis sufficere videtur; Sed eorum usum non nisi ad breve tempus proficuum esse affirmat. Auctor anonymous illius libri usum saturninorum a GOULARDO promiscue et ubique commendatorum restringit p).

§. 19.

m) vid. L. cit. T. II.

n) L. c. p. 446. ed. Germ.

o) TH. GOULARD memoires sur les maladies de l'urethre et sur un remede specifique pour les guerir, Montpellier 1746.

p) Richtiger Gebrauch des Bleiextracts in äußerlichen Zufällen durch vieljährige Erfahrung bestätigt. Halle 1793.



§. 19.

HUNTERUS q) Cel. in quibusdam casibus suppurationem bono effectu in urethra produci posse; ubi autem tenuissimae nequidem candelae angustationem urethrae penetrare possunt, ibi caustica adhibenda esse contendit. Quam methodum r^o reprehendit et chordas intestinales ad conficiendos cereolos, uti LE DRAN s) jam antea fecerat, laudat, neque tamen etiam daranianis aliquid de sua laude detraxit. Idem fere in commendandis chordis intestinalibus sentit SCHWEDIAUER (l. c.) Caeterum primis diebus non diutius quam semihorium in urethra relinquendas esse, nostros autem mane et vespero intrudendos, interdum quoque per totam diem eorum usum esse continuandum docet.

§. 20.

Omnis autem scriptores in hisce §§. commemorati vel propriam solummodo compositionem vel DARANIANOS cereolos summis laudibus extollunt, et bonos cereolorum effectus nonnisi ex efficacia substantiarum, eorum compositionem ineuntium, declarant; Sed Cel. BELLIUS in praestantissimo Chirurgiae systemate omnes illos auctores in errorem incidiisse et cereolos nonnisi mechanice agere demonstravit.

§. 21.

q) l. c. p. 215.

r) l. c. p. 221. sqq.

s) HENRY FRANC. LE DRAN in Tr. des Operations p. 308.

§. 21.

Haec fuerunt, quae in tam brevi temporis spa-
tio de historia hujus instrumenti ex variis, qui hac
de re scripserunt, auctoribus congerere potui.

Non inficiar, multa hoc facientia meos oculos
aufugere potuisse; spero autem, ut L. b. benigne
mihi haec condonet.

SECTIO II.

SPECIES CEREOLORUM.

§. 22.

In dividendis ordinandisque cereolorum singulis
speciebus variam auctores secuti sunt methodum.

Sic e. g. DESAULT ^{t)} duas eorum classes con-
stituit, quorum alteram simplicium nomine
complectitur, eique elasticos ex chordis paratos et
plumbeos adnumrerat; alteri autem medicato-
rum nomen dedit propter eorum cum medicamen-
tis mixtionem. Evidem hunc ordinem maxima ex
parte

^{t)} Journal de Chirurgie par Mr. DESAULT, chirurgien en
Chef de l' Hotel-Dieu de Paris. Second Année, Tome
troisième. à Paris 1792. 8.

parte refinui, plumbeos autem, utpote cereolorum nomine et usu plane indignos ultimo loco fē posui.

§. 23.

Cereoli linteī.

Hoc nomen ideo mihi mereri videntur, quia linteūm praecipuum materiale iis praebet, atque non nisi rerum conglutinantium ope in debitam formam redigitur.

Massæ autem talem cohaerentiae gradum largiendum esse liquet, ut neque liquidior neque rigidor justo sit, quod facile semel instituta experientia docebit; quare parandæ huius speciei materiem eligendam esse censeo, quae praeter justam densitatem nullas alias facultates exhibet.

Hinc aliam magis congestam et ex variis medicamentis mixtam speciem, quam cereolorum compositorum nomine insignivi, ab hac bene distinguendam esse patet.

Variae autem in conficiendis hisce cereolis adhibendae sunt cautelæ, quae quamvis primo intuitu exiles et notatu vix dignæ videntur, tamen in ipsa præparatione necessario observari debent.

I. Linteum sit aequaliter textum, tenerum omnis que rigiditatis expers. Optimum id jure censetur, quod vestitu paululum detritum est, quo cereoli laeviorem superficiem adipiscantur.

2. Mat-

2. Massae quo firmior et tenacior est consistentia, eo celerius refrigerando durescit; hinc difficultas aequaliter ea linteum obliniendi oritur. Quod ut eo melius evitetur, vas quoddam forma peculiaris praeditum, carinae fere simile adhibetur, longitudinis fere pedalis fundo parum concavo, in quo postquam ceracea liquefacta sunt, linteui frustula majori cum commodo immersi atque massa aequalius obduci possunt.
3. Liquatio ipsa leni igne peragatur, ut empyreuma et bullularum elevatio impediantur.

Pannulus nunc probe imbutus refrigeratusque in frustula scindatur aequalia, longitudine 10 pollicum, latitudine vero ex ipsa textura linteui eique adhaerente massa determinanda.

Medium sibi certe vindicant, si unam versus extremitatem $\frac{3}{8}$ pollicis, alteram versus $\frac{5}{8}$ latitudinis complectuntur, ut leni conoideae formae haud dissimiles videantur. Digitis singula primo convolvuntur, ope dein corporis cujusdam duri, levissima tamen superficie praediti super marmore in debitam formam rediguntur.

Cavendum insuper, ne quid massae in apice non bene adfixum supersit. Quidam enim Pharmacopolis apicem, ut rotundior evadat, levigatione jam perfecta denuo imbuunt, sed hic globulus immissionem in urethram facilitans quidem, retracto autem instrumento

mento in vesica relictus facile calculis praebet nucleum.

Praelibatis hisce, ad enarrandas compositiones linteo conglutinando idoneas transeo.

Simplicissima autem, eaque optima illa jure censetur formula, quam GOULARDUS chir. Werke 2. Band, p. 306. dedit.

R. Cerae flavae Libr. unam
leni igne liquatae adde
Extracti saturni unc. semis
continua agitatione bacillo
ligneo bene misceantur.

Eandem in Dispensatorio Brandenburgico sub cereolorum mitigantium nomine receptam video.

Ad recentes praesertim carunculas sanandas hanc magna cum laude extollit compositionem GOULARDUS, inveteratas autem radicibus exstirpandas requirere majorem Extracti saturni quantitatem asserit, quod in secunda exhibita formula l. c. p. 308. ita propinavit :

R. Cerae Unc. sex
Extr. saturni Unc. duae
exacte inter se misceantur.

Horum autem ab eo commendatorum ingredientium haud justa proportio mihi esse videtur, tantaque Extracti saturni quantitas conjunctionem cum
cera

cera inire nequit. Majori autem addita saturni copia, quam in prima specie indicavimus, praesertim si utraque fortiori igni exponitur, massam enasci diuorem, ac majori vi in carunculas agere experientia comperimus. Variae fuerunt medicorum de optima massam componendi methodo sententiae, et suos singuli modos encomiis mire extulerunt.

Ast si ad hanc simpliciorem speciem respiciamus emplastra plumibum continentia, quibus ad cereolos conficiendos utimur, magis in materie, quam continent praeципua, quam in parandi methodo discrepant; et vix prater auctam, postquam igni exposita fuerit, duritatem inter se differunt.

Inter omnia autem, quae variis in libris indicata leguntur, praecepta quaeque hic secundum ordinem exponere nimis longum foret; hanc a Cl. BELLU) commendatam compositionem huic inserere, loco licitum sit:

R. Empl. Diachyl. simpl. unc. quatuor
Cerae purae sesquiuncia
Ol. Olivarum unc. tres
Ieni igne bene misceantur.

Quamquam Cl. Vir hanc quam maxime ad cereolos conficiendos idoneam laudat, nihil tamen minus experientia edoctus affirmo, cereolos hac ex materia confectos flexilitate excedente pollere. Insuper plum-

u) Lib. cit. T. II, p. 232.



plumbum si excipis in DIACHYLO contentum, nil peculiare iis inest, quod majori efficacia in urethrae morbos agere poslit. Unum ideo sufficere mihi videtur Schema, quo larga parcave manu saturni extractum addimus, ut aut moliores aut paulo rigidiores cereoli reddantur, quod me judice in illa supra commemorata GOULARDI compositione simplicissima via invenimus.

Nihil autem in parando hoc instrumento magis juvat, quam opificis in justam formam illud redigendi dexteritas, repetitis solummodo periculis acquirendam.

De agendi cereolorum modo omne per aevum variae exsisterunt medicorum opiniones, quas in prima hujus commentarioli sectione fusius enarravi. Tam hae, quam reliquae fere omnes hujus instrumenti species profecto nullam exserunt yim peculiarem, nisi mechanicam, quae ex cohaerentiae et certo rigiditatis gradu facile nobis explicanda est
Nam :

1. Superficies blanda oleoque quodam miti param illinita immisioni favet impeditque, ne irritatio huic sensili parti, cui mederi volumus, damnum afferat.
2. Calor naturalis urethrae massam instrumenti leniter emollit, emollita linteum extendit, et hac extensione urinae iter sensim dilatatur, suavissimoque stimulo muci secretio magis promovetur.

§. 24.



§. 24.

Cereoli ex candelis cereis confecti.

Haec inter remedia, quae curandis urethrae obstructionibus inserviunt, uitaflissima cerea candela (quam vocant WAKSTOK) merito et tute, urgente necessitate, aliis hujus census instrumentis substituitur, si aquae primum tepidae imbuta flexilior facta est.

Mihi autem CLOSSII methodus praeparet, qui ellychnium massa quadam cereolis parandis idonea obduxit, cum in communibus cereis candelis major therebinthinae copia nimium irritare solet. Ellychnii tamen loco, sueto more ex gossypio parato, linte tenerrimi fila in aptam reducta formam feligere, quae ad crassitatem usque scopo destinato idoneam obducta omnibus certe respondent votis,

A prima specie si substratum excipias, vix discrepant, pro lubitu tamen facili negotio flexiliores redunduntur.

§. 25.

Cereoli ex Chordis parati.

Non minori laude ac priores habentur digni, quos simplici aequa via ex intestinalium chordis parari docuit le DRAN v), qui magno cum emolumen-to iis in urethrae obstructionibus usus est. Illum inter recentiores praesertim secutus IESSE FOOT w), qui

v) HENR. FRANC. LE DRAN in *Traité des Operations*.

w) JESSE FOOTS Abhandl. über die Lustfeuche und Urin-verhaltungen, aus dem Engl. von G. C. REICH, 1. Th. Leipzig. 1793.

qui caeteris saepe frustre tentatis hosce perutiles expertus est, praecipue autem eos extulit, quos chemicus quidam JONES Parisiensis paravit. Nobis autem cum ex tam longinquis regionibus tales petere haud consiliū esset, methodum adhibeamus necesse est, qua facili negotio tales nobis comparare possumus, ad cuius methodi descriptionem me nunc converto.

Chordae e brutorum intestinis paratae, (vulgo Darmfalten) aequales pro suo cujusque libitu crassae atque aqua paululum inspersae et mollitae, ponderis adfixi ope in rectam extendantur lineam, deinde extendendo leniter siccatae et in frustula longitudinis 10 circiter pollicum scissae, marmoreas inter tabulas tamdiu volvantur, donec superficies rigiditatis plane expers, usuique destinato aptissima evadat. Omni tamen adhibita diligentia blandam superficiem quam maxime necessariam non acquirunt, et in urethram immissae semper irritationem nimiam faciunt. Emendatio igitur a DEASE x), proposita, jureque laudata attentionem nostram certe meretur, atque hac methodo servata instrumenti efficacia minori aegrotantium incommodo urethrae obstructionibus medemur. Chordae modo jam dicto laevigatae cerea massa imbuantur, ac refrigeratae super marmore, uti supra laudatae linteae, cylindro bene circum-

genda

x) Observations on the different methods of treating the venereal disease, by WILLIAM DEASE.

genda sunt, ut superficiem omni ex parte glabram induant.

Per opportunum applicationis gradum acquirunt, si unam extremitatem, ne apex nimium acutus vulnusculum urethrae infligat, conoideam reddimus; alteram autem, ne incisio aegroto in vesicam dilabi possit, nodulo, qui admoto parum igne sponte prodit, instruimus.

Effectum sequentia nobis forsan clariorem redundat:

1. Tenerima praeditae structura obstructions quam arctissimas penetrant, in quibus omnes ferre reliquae species opem suam denegant.
2. Firmiores pauloque rigidiores caeteris immisionem facile subeunt, partique obstructae majorem vim opponunt.
3. Facultate humores imbibendi summopere gaudent, et quum cera superne obliniti sint, absque omni vehementi irritatione angustationes praeternaturales dilatant.

Aliis insuper crassioribus v. g. elasticis, quae adhibenda, et majori aegrorum commodo per longius deinde temporis spatium in urethra relinquenda esse nobis videntur, viam aperiunt; cumque per levem curvaturam, ex impressione loci obstructi ac qui-

quisitam, illum rite indicant, accuratior quoque adhiberi poterit medela.

§. 26.

Cereoli ex Pergamenea membrana parati.

Hanc simplicem parandi methodum enarratus, DE GESCHERUM, qui eam primus commendavit, sequor.

Tenerrimae hujus membranae, quam vocant *Jungfernperament*, frustula longitudine sua, usi in aliis indicata, et quoad crassitatem instrumenti pro arbitrio constituta latitudine exquirantur, quea uno suo in margine labiorum ope irrigantur saliva, ut invicem cohæreant. Juxta longitudinem dein ad requisitam eorum densitatem atque planitatem digitis complicantur. Quo facto extima intestini coeci bovilli lamina, eaque malleo in tenerrimam ducta structuram circumvolvuntur, atque iterum iterumque inter duras torquentur tabulas, donec membranam instrumento firmissime adglutinatam videmus.

Utraque tandem instrumenti apprime elaborati extremitas in ceream massam qualemcumque immergitur. Tunc enim instrumentum secundum Cl. Auctoris sententiam hoc modo confectum usui opportune inservit. Idem Cl. ad urethrae dilatationem maximopere illud proficuum asserit. Cum tamen efficacia sua priores ex chordis paratos vix ac ne yix quidem supereret, eodem quoque mea quidem sententia absque omni incommodo facile carere possumus.

§. 27.



Quamquam in ipso parandi modo hucusque inter se nondum convenerunt medici, ex quanam potissimum elastica materia haec cereolorum species consiciatur, id tamen uno oīnes ore confirmant, elastica hac facultate praeditos aliis multo praestantiores se praebuisse.

Vix ullum, quam qui primam interdum applicationem comitatur dolorem, excitant, et ab aer-grotis, qui propter nimium ab aliis hujus censu instrumentis excitatum incommodum hoc medendi genus abhorrent, saepe lubentius tolerantur.

Hujus inventionis, ex qua non parum chirurgia reportabat utilitatis, primam occasionem praebuit Caotchouc s. Resina elastica in usum chirurgicum a Cl. THEDEN z), praecipue collocata, qui illam in Naphta vitrioli solutam ad parandos Catheteres adhibuit.

Sed quamvis in ipsa solutione naphta, si probe dulcificata fuerit, Resinam introfuscipit, tamen illa avo-

y) Elasticitate omnes quidem cereolorum species gaudent; cum haec vero facultatem illam per eminentiam possider, suscepit jam vulgo denominationem retinui.

z) THEDENS Sendchreiben an den Prof. RICHTER die neu erfundenen Catheter, aus Res. elasti. betreffend. BERLECKER 1777. 8. p. 32.

avolante haec mollior, quam antea fuit, evadit, et elasticitatem partim amittit. Unde evenit, ut ejusmodi instrumentum a pristino elatere jam deflectens, ac in urethra a calore mucoque mutatum maximam mollietatem induat, ita ut vel sine levi detimento vix extrahendum, vel ad ulteriore applicationem tanquam inutile reiiciendum sit.

Certe in regionibus, in quibus *Hevaea guianensis* succum stillat recentem, hic nondum solvendo mutatus meliora praeberet instrumenta.

Hanc equidem eximiam facultatem succo *Hevae* insidentem et in aliis rebus, quibus et ipsi abundamus, varii artis periti suspicabantur, atque in detegenda tali massa elastica omnem operam impenderunt.

Quo factum est, ut et Catheteres et Bougies elasticci, quorum compositionem ne granulum Caotchouc inivit, venditarentur, fraude aegrotantibus minime nociva.

Totus rei cardo in eo versatur, ut instrumentum bene elasticum, firmum, et calori humorique urethrae insidentibus resistens possideamus.

Quibus virtutibus modo nominatis in omni suo ambitu excellunt, quae fratres *BERNARD* parisienses et d. *PIKEL* Würzburgensis venales habent, et quae ne ullum quidem vestigium resinae elasticae continent, sed ex succini, virnifio lini et oleo quo-

dam aethereo facta solutione, quae super idoneam formam sensim oblinita ac fortiori caloris gradu siccata est, consistunt.

Praeter vitrioli naphtam in petroleo multa vice rectificato, resinam solvendi elasticam aliam nuper aperuit viam FABRONI a), affirmans, id omnibus aliis hucusque laudatis multo efficacius in hac antecellere facultate, et remanente ejus elasticitate haud magnis impensis se praebere quam aptissimum.

Cujus sententiae eo libentius accedo, quo exactius hujus asserti veritatem experimentis a me institutis cognovi; petroleum enim a Pharmacopola, qui hujus loci est, Cel. Kohlio benebole mihi suppeditatum unica solummodo rectificatione, nec ulla in solvendo vi ignis adhibita magnam resinae copiam perexpedit in se fuscipiebat.

Quamquam maximam mihi solutio ipsa utilitatem promiserat, spes tamen in parando nostro instrumento me prorsus fecellit. Saturatam jam solutionem cum commodam redigere in formam vellem, ob maximam spissitudinem penicillo adhaerabat; diluta autem, labore longe molestiori facto, aegre in siccitatem abiit, tandemque instrumentum unc tuo-

a) Aufklärungen der Arzneywissenschaft aus den neusten Entdeckungen — von HUFELAND und GOETTLING, Weimar 1793. 1. Bandes 1. Stück, p. 113.

tuosa superficie deturpatum et firmitate sua destitutum, operam atque oletum perditum reddidit.

Haud aliud mihi superesse autumo, quam ut iis, qui elasticis ejusmodi instrumentis vel maxime delectantur, suadeam, ut sibi a laudatis supra D. PICKEI AUT BERNARDI vel a SCHROPPIO quoque Berlinensi ea vendente, comparant. Melius quidem foret, si pharmacopolea hoc etiam conficiendo instrumento operam impenderent, ut quemadmodum alia hujus census, etiam hoc quisque medicus in promptu habere possit: et doleo quidem, me adhuc talia optare debere, cum non parum emolumenti inde medentibus enasci potuisset et adhuc enaturum esse certe persuasus sim.

Temporis penuria resque aliae diversae impedimento mihi fuerant, quominus majori solertia varios parandi modos perquisiverim, sed ut ab incepto meo opere non totus desistam, mecum constitui, in rerum, quae huic inservire scopo possent, indagatione ulterius me progressurum, simulac futura mea fors idem concederit.

§. 28.

Cereoli ex medicamentis paratis compositi.

Haud merito cereoli, qui variis medicamentis miscentur, ut praeter simpliciores vires mechanicas, chemico quoque modo agant, sub specie majoris efficacie caeteris praeseruntur. Si eo autem ex fine

illa adduntur, ut majorem cohaerentiae aut elasticitatis efficiant gradum, aptiores certe ii ad medelam enascentur.

Iliae ideo a Gallis Anglisque suscepitae ac ad nos delatae denominaciones BOUGIES medicamentenfuses, medicated, inconcinnae et a rebus potius iis perperam attributis, aut falsa opinione, quam ex rerum natura haustae videntur; Medicamentis autem modo chemico praecipua irritante vi agentibus salutarem efficaciam in eos urethrae, quos cereolis curare morbos studemus, plane abnegare ausim, cum aut glutinantium farragine nimium involuta ac extincta frustra latent, aut, si instrumenti superficiem tegunt, vehementem inferunt dolorem, et hostem, cui expellendo destinata sunt, denuo allidunt. Quodsi autem ad curationem hujus morborum generis irritatione opus est, tunc omnino mechanico stimulo instrumenti nostri huic fini satisfit, et si cauta manu illud dirigere, ejusque motus vel augere vel diminuere valeas, tutissima incedes via. Nullus dubito chemicis hac in praerogativa palam remedia mechanica praeripere, cum quamcunque eorum actionem facilius persequi, atque permutare valemus. Licet me minime omnium medicamentorum topice exhibitorum osorem profiteor; nequaquam enim me fugit, quam praestantem et citam illa rite indicata, medelam praestent.

Sed, ut unde egressus sum, redeam, paucas atque plenis quondam buccis ventilatas compositio-

nes



nes loco huic inferere et quid de iis sentiam adiice-
re mihi liceat,

Cereolorum massa DARANII modo b).

R. Herbae Cicutae

Hyperici

Nicotianae $\overline{\text{aa}}$ manipulam unam
contunde, et coque cum

Olei nucum Libris decem,
ad humiditatis consumptionem
colatis admisce

Ovium excrementorum siccatorum Libras
duas

Lithargyrii Libras octo

Pinguedinis Porcinae L. sex

Cerae L. duas,

coquantur simul ad justum
consistentiae gradum.

Genuinum hoc specimen suum fere aevum
significat, quo modesta et a scoriis purgata medica-
mentorum cognitio adhuedum in incunabulis latita-
bat. Quasnam ex oleosa herbarum infusione virtu-
tes exspectemus — ? Quid ovium simus — ? Quid
denique varia pinguium genera — ?

Re autem accuratius perspecta auctorem omni
suo studio et labore nil nisi emplastrum diachylon

pro-

b) Journal de medicine chirurgie et Pharmacie Tome II. et
in Richt. chir. Bibl. B. VI. p. 75.

progenuisse videbis, de quo in §. 22. egimus. Sed nihilominus DARANIUS mirificos ei adscripti effectus in §. 13. enarratos, quamvis non alio quam mechanico modo agat. Sed sua quemque trahit voluptas, et si modo exspectatum inde effectum habebis, tunc massam quamcunque instrumento confiando feligere poteris.

Cereoli FALCKII c).

R. Therebinthinae drachm. unam
 Gummi Laccae optimi pulveris:
 drachm. dimid.
 Sufficienti ignis gradu-
 liquentur, et dein adde
 Emplastri mercurialis
 unc. duas
 Mercurii dulcis drachm. dimid.
 praecipitati rubri
 scrup. duos:
 misce omnia probe agitando,
 ne separentur et a se
 discedant et fiant Cereoli.

Mercurius trifariam parationem percessus, huic-
 que tenaci involutus massae singulares, praecipue
 autem eas, quas novandi cupidus et in aliorum sen-
 tentias abeundi mala consuetudo ei adscribit, virtu-
 tes

c) Disp. Bor. Brand, p. 19.



tes nullo modo exserit. Quem enim non plane arte in medica peregrinum fugit, mercurium tali adhibitum modo non specifica sua vi excellere, sed respectu parationis suae mox majori, mox minori irritante agere? Ast ex therebinthina potius, cuius dum oleosa pars igne non plane expulsa est, quam ex mercurii additamento, facilius primariam actionem declarabimus.

Si autem mercurium miti quadam materia mixtum adhibere placeret, **BELLII** d) methodus, illum nempe melle probe conjuncto cereoloque oblinito urethrae inserere, quam aptissima videtur.

Cereoli SHARPII e).

Rx. Empl. diachyl. c. Pice burgund.

parat. Disp. Lond.

Merc. viv. unc. unam

Antim. subtil. pulveris:

unc. semis

Misce exacte.

Mercurius vivus primum in Balsamo sulphuris vel melle solvi, aut cum hisce conteri et emplastro, in leni calore liquefacto sensim addi debet. **BELLUS** hancce compositionem, ad justam consistentiam redactam, ad parationem cereolorum summe idoneam esse affir-

d) I. c. p. 241.

e) SAM. SHARP Critical Enquiry into the present state of Surgery.

affirmat; quare ego, qui eos non expertus sum, nullum de iis judicium fero.

Quod tandem attinet ad cereolos doloris sedandi causa commendatos (Gallorum Bougies ad ouc issants) ex oleo amygdalarum, saevo ovino ac cera confectos, nostram vix prae aliis attentionem merentur. Dolorem praeprimis in urethra felicius sponunt, qui applicationem in hoc morbi stadio vel penitus omittunt, vel nimium irritationis gradum alia concinna medela superandi navant operam.

§. 29.

Plumbei bacilli.

Ad ultimam tandem instrumentorum, de quibus usque adeo egimus, speciem transgredior. Omni fere tempore, quo cogniti cereoli erant, medici in curandis urethrae obstructionibus plumbum, in bacillorum formam redactum, mirifice extulerunt; idque illis non solum substituerunt, verum etiam anteposuerunt. Aeterna certe bacilos hosce oblivione potius deleri, quam iterum commendare posterris mallem; quum omnia, quae ab eis exspectantur, antecedentia explent. Quamquam in strictiori sensu mechanice agentes, et rite applicati utilitatis non plane expertes reperiuntur, eorum tamen rigiditas urethrae flexilitati non obediens, ac durities aegrotis non parum incommodi adferunt. Accedit quoque illa fragilitas et a plumbo in teneram formam reddito

to indissolubilis, quae prima statim applicationi re ipsa aduersatur, ac delapsum forte in urethram plumbi frustulum magis aegrotum jugulat, quam salutem nostra ex arte quae sitam impertitur.

SECTIO III.

CEREOLORUM VIRTUTES.

§. 30.

De praecipuis Cereolorum virtutibus eorumque efficiacia vario quidem modo inter se differuerunt medici (v. Sect. I.) sed vix ullus, qui partium, in quas agunt, functionem, et in iisdem actionem talis instrumenti bene callebat, nostris diebus opinionem de puris generatione, qua solummodo carunculas destruendas esse aliqui affirmarunt, fovere potest, quod praecipue Cl. POTTIUS declarasse videtur f).

Ast caruncula-

f) Der Ausfluss, welcher, in Fall einer Harnverhaltung, durch schicklich angewendete Bougies verursacht wird ist blos missfarbiger Schleim, und kein Eiter, ob er gleich gewöhnlich so genannt wird. Durch eben diesen Ausfluss und durch die Erweiterung des Harnkanals, keinesweges aber durch die Zerstörung und Trennung der Theile wird die Krankheit erleichtert.

Wenn



eularum raritatem jam satis superque declarasse nobis videmur, quo asserto etiam inter recentiores praesertim accedit Cl. BELLIUS, qui licet carnes ex crescentes non omnino denegat, tamen earum frequentiam ex observationibus propriis refutat; vix enim decimam circiter partem urethrae obstructione laborantium carunculis afflictam fuisse comprobatur g).

Qualiscunque autem sit cauſa obſtructionis, certe cereolorum efficaciam erga carunculas, ſi quae adſint, quemadmodum adverſus omne fere obicu[m] urethram obſtruuentium genus ad mechanicas vires, quas ex eorum forma, flexilitate ac duri[te] derivamus, merito reducimus.

- a) Dilatationem urethrae immitti in angustato loco producunt, eoque melius, quo expansibiliori materia, cuius elasticitas etiam calore et humore attracto adaugetur, ſunt confecti.
- b) Dilatando latera urethrae comprimunt, et ſi carunculae carnoſo-fungofae obveniant, debilem

Wenn die Kerze wahres Eiter verursacht, so schader sie weit mehr als sie nutzt, und macht ein Geſchwür wo noch keins war und wo keins feyn follte —. V. PERCIVALL POTTS Abhandl. über verschiedene Gegenſtände der Wundarzneik. Dresd. 1771. p. 18.

- g) BELLIS Lehrbegr. d. Wundarzneik. 2te Aufl. 2ter Band, p. 229.



bilem jam earum vim vitalem suffocant, atque
quasi extingunt.

- c) Unde etiam eas vivi corporis partes, ut complura corpora mechanice agentia, irritare liquet; quare muci secretionem augent, gonorrhoeam restituunt suppressam, et fortiori actione inflammationem adferunt, qua excitata non raro gonorrhoea supprimitur.

§. 31.

Maximum eorum valorem in curandis urethrae morbis, ac in ejusdem praeprimis obstructionibus experimur, quae praeter spasticas contractiones

1. ex variis tumoribus, aut in substantia urethrae aut adjacentibus in partibus sitis,
2. Carnunculis,
3. et stricturis oriuntur.

Si tam haec, quod sapissime fieri solet, quam alia impedimenta urinae meatum mechanice obstruentia adsunt, Cereolorum usus ea aut plane auferre, aut magna ex parte minuere observationes docuerunt, ac speciatim iis utimur:

- a. Ubi carunculas carnosofungosas ac urinae effluxum impedites radicibus auferre studemus; quando autem eandem naturam ac venereae verrucae, glandem obsidentes, possideant, pari modesti in urethrae ostio conspicuntur, forfice potius ablin-

abscindendae sunt; iis tamen paulo ulterius, seu mediam versus urethram sitis, quod quidem teste BEL-LIO b) vix ultra dimidium pollicis fieri solet, cereoli crassiusculi caute immittendi sunt, qui aut pressione sua illas enecant, aut inflammatione excitata destruunt.

Sunt profecto, qui in carunculis, urethram occupantibus, uti et in iis, quae glandi insident, cauteria sollicitate applicare suadent; HUNTERUS i) quoque in peculiari instrumento artificiose exhibitorum usum magna cum laude extulit, cereoli tamen propter violentos cauteriorum effectus, sin minus cito, jucundius tamen tutiusque hoc sublevantes malum illis praferendi sunt.

Idem, quamquam cauteria mirifice celebravit, neutiquam se ex eorum applicatione periculum secutum vidisse abnegat k), quod tamen, si adhibita apta medela sublevari possit, minus detrimentosum judicat, quam si cereoli incaute, atque vi nimis magna applicati novam sibi viam aperiant.

Re

b) L. c. p. 218.

i) JOHN HUNTERS Abhandl. über die venerische Krankheit,
aus d. Engl. Leipzig. 1787. p. 215.k) „Bisweilen bringt der Gebrauch desselben eine Reizung,
Entzündung oder Krampf in dem leidenden Theile her-
vor, wodurch oft eine gänzliche, eine zeitlang anhal-
tende, Unterdrückung des Urins bewirkt wird.,, v.
RUNT. l. c. p. 219.

Re utraque ex parte spectata suis quaelibet difficultatibus premitur. Illa certe in via tutius ibimus, quae periculosa minus, paulo etsi longior, ad eandem tandem nos metam ducit. Proxime hanc cereolorum usū adsequimur, si cautori tractatione, nec non quoad crassitatem atque structuram vitio submovendo idoneos feligimus.

b. Contra Stenochoriam urethrae, quae ex venereis non solum, sed ab aliis quoque caussis progignitur. Parietes urethrae sensim sensimque ita intumescunt, ut ortae incrassationes mox majorem, mox, quod saepius contingit, minorem partem occupent. Nec inficiamus, longum interdum absque ullo dolore temporis spatium intercessisse, quo aeger, impedita nisi esset urinae minctio, nihil etiam latentis mali animadvertisset. Stenochoriam suam praecipue in posteriori parte urethrae et in bulbī regione sedem habere observationes abunde docent, id quod et HUNTERI¹⁾ experientia affirmat.

Stenochoria duplex est.

1. Vel majorem urethrae partem aut in uno solum, aut in utroque latere obstructam cum majori minorive intumescientia penis conjunctam invenimus. Cujus mali caussam plerumque instrumente cavernoso corpore sitam esse observationes docuerunt, quod, si materia aliena nimis exten-

1) L. c. p. 193.



extenditur, urinae meatus necessario coarctari debet. Omnis autem colis praeter naturam irritatio, per longum praesertim tempus protracta, huic obstructioni anam praebere potest, cum sanguinis in majori copia versus ejusdem cellulas ruentis lymphatica pars sensim secreta deponitur, et polyposa concrementa, uti etiam post frequentem catarrhum fieri solet, locum hunc quam maxime dilatabilem occupant.

2. Vel unica eaque minima urethrae pars incrassata est, qui status ideo stricturae nomen sibi vindicat, quoniam quasi filii constrictio haud dissimilis videtur. Eandem quoque, ac in antea descripto stenochoriae genere caussam agnoscere non absolum est, quae tamen potius membranam, urethram investientem afficere videtur, et hujus particulam quandam intus ultra modum propellit, quae deinde adnexas partes secum trahit, talique modo una cum incrassatione constrictio efficit.

Ab ulcusculis secum communicantibus ac coailitis haud raro tales enasci constrictioem BELLIUS m) asseruit, et hocce in casu urinae duplicem radium observari affirmat; quod autem magis a vulsuclorum cicatrisatione, quam ab ulceribus (quorum frequentiam idem Cl. in recentiori opere n) ipse abnegat) fieri posse judico.

Utrum-

m) Lehrbegr. d. Chir. 2. Bd. p. 246.

n) Vom bösartigen Tripper. Leipz. 1794. Bd. I. p. 130.

Utrumque interdum genus unum idemque subjectum afficit, in quo hic urethrae pars per stricturam modum angustata, illuc in eodem majori ex parte incrassata est. Unius itaque lateris, partisve incrassatio urethram ac oppositum latus necessario pellit atque adeo incurvat, ut instrumentorum applicatio valde difficultis reddatur.

Varii ab nostra aetate ubique adhibitis injectionibus stricturas derivare conati sunt, quam sententiam autem ultra sequi vix consilii esset. Quaenam enim medela injectionibus circumspecte adhibitis ad gonorrhoeas sanandas praestantior? Si profecto urethrae obstructionibus frequentius laborant, qui aut neglecta injectione, aut illa male adhibita ex urethra diuturnum perpessi sunt effluxum, cum mihi potius, quae longum, acribus etiam remediis protractum, irritationis stadium sequitur, relaxatio proximior stenochoriae caussa esse videtur. Quare originem hujus mali non in ipsa medendi methodo, quae injectionum usum postulat, sed in perversa medela ponendam esse existimo. Ipse enim HUNTERUS hujus stricturae speciem in juvene XIX. annorum numquam gonorrhœam perpesso, atque in infante IV. annos nato observasse testatur o). Quomodo cunque autem hac in parte, mucum semper fecerente, debilitas ac vasorum relaxatio oritur, eam caussam hujus mali praedisponentem agnoscimus.

Hoc-

o.) L. c. p. 195.



Hocce in casu cereolum unicum esse remedium existimo, cuius apta applicatio viam quam arctissimam (si ejusdem structura satis tenera est) ostendit atque dilatat; et quamquam in sanatione festinans fatigatur medicus, aegrotum tamen tutius, quam causticorum usu ad sanitatem promovebit. Haud raro, praesertim recenti in morbo, hac si methodo utimur, radicaliter ei medemur, inveterato autem, qui plenaria quidem medelam non admittit, temporaneum tamen levamen indefessa cereolorum immisso procurat, impeditque, quo minus malum in pejus ruere possit.

c. Varicosa vasorum a debilitate orta dilatatio simili modo ac in aliis corporis partibus, sanguinem magis ad debiliorum locum tendente, tam angustum canalem facilius obstruit. Hanc certe frequentissimam obstructionum urethrae caussam arbitror, quae nisi subtiliori indagatione instituta oculos fugit, cum depletis post obitum vasis tumores evanescere videntur. Qua de caussa tam saepe post pertinaces urethrae obstructions nullum post mortem detegebatur morbi vestigium p).

Spirituosorum abusus, exercitatio corporis vehementis, aliaque irritantia diurnam gonorrhoeam percessis periculosa symptomata producunt, quae, si catheteris immisso denegetur, cereolis felicissime fa-

p.) GOULARD traité des maladies de l'urethre p. 170.



Iaepē superantur, et periculosior vesicae paracenthesis evitatur q).

Varicosos vasorum tumores, uti urethrae obstructionum caussam, conjecterunt alias medici (Sect. I. §. II.) nunc vero magis perscrutata dilucidiorque reddita extra omnem dubitationis aleam posita est. Quo in cassu adhibiti cereoli r) vasis debilitatis pristinum robur reconciliant et pressione sua ita agere videntur, quemadmodum fasciae varicosam dilatationem venarum e. g. pedum sublevant. Cum autem urethra majori sensibilitate, quam corporis superficies gaudet, praeter solam pressionem irritazione varicosa vasa etiam mutari haud absque ratione contenditur s).

Summam interea hisce praesertim in casibus Praecautionem cereolorum applicatio require videatur, cum glandulosae partes, quibus hac varicosae dilatationes praecipue magnam ob vasorum copiam insident, ultra modum irritatae malam facile indolem contrahunt. Tenerimos et quidem ex chordis paratos reperies quam aptissimos, qui sensim tumen-

tes

q) le DRAN chir. Gutachten p. 224. BROMFIELD l. c. p. 451.

r) DESAULT Journal de Chirurgie, T. I. II. V. RICHTER chir. Bibl. 1. und 2. Bd. EELL l. c. p. 245. sqq.

s) „Vielleicht bewirken sie durch den mechanischen Reiz einen gewissen inflammatorischen Zustand des sehr viel dazu beiträgt, die Gefäße zu degorgieren und zu ihrem natürlichen Durchmesser zu verengern.,, RICHT. chir. Bibl. 1. 2. Bd. p. 295. sqq.

D

tes leviori agunt pressione et si loco paululum dilatato crassiores pedetentim applicantur, varicosa illa vasorum intumescientia, nisi plane sanetur, saltim magis sublevatur.

d. Si gonorrhœam, aut sponte nimis mature cessantem, aut perversa medela suppressam restituere animus est, cereoli praestans nobis suppeditant remedium, quod a Medico tempore congruo applicatum, restituta prima urethrae affectione, hunc effluxum revocare valet. Testiculi, suffocata subito gonorrhœa simul affecti, effluxus restitutionem requiriere interdum videntur, qua denique iterum producta eos non raro deliberatos observamus. Maximam praeterea in eorum usu adhibendam esse præcautionem eos certe non fugit, qui magnum urethram inter et testiculos intercedere consensum haud ignorant. Unde secum vicissim communicatis eorum affectionibus, urethra vel a cereolis aliove modo valde irritata, herniam, quam ajunt humoralem, producere solet. Quare satius, hunc ut finem adsequamur, mihi videtur mitissimos applicare cereolos, quos prorsus anteferendos iis judico qui oleo therebinthinae obliiniti a variis commendantur. Hoc enim aditamentum, cuius effectum, si tam sensibili parti applicatur, vix accurate determinare valemus, vehementi sua irritatione certe plus damni quam emolumenti affert. Cum enim in redintegratione gonorrhœae in id præcipue attendere debemus, ut recens admotus stimulus valore suo cessantem non superet,

fed



sed ut eundem morbi gradum ac antea fuerat efficiat, (quod vix ab valde irritantibus remedii exspectare licet,) certe cereolorum simplicium usus, quia eorum actio magis ex nostra voluntate pendet, cum frictionibus atque fomentationibus perinaei conjunctus, multo securius ad exoptatum nos scopum dicit t).

Quod spectat cereolorum usum ad sanationem diuturnarum ac valde tristium gonorrhoearum, quae magno medicaminum apparatu saepius tentatae nihil tamen minus ei resistunt, et in hisce eximiae eorum vires majorem, quam hucusque obtinuerant, fidem promerentur. Exiguo hocce instrumento, pertinacem multoties suffocamus urethrae effluxum, praesertim si in topica labe, ut fieri solet, caussa latet mali. Ne autem in extollenda eorum efficacia tempus consumam, sed ut potius hoc in morborum genere ad sanationis cautelas transeam, usum quoque paucis delineare sufficiat.

D 2

Du-

- t) Unter den Mitteln, durch welche man eine Rückkunft des Trippers zu bewirken trachtet, zeigen sich vorzüglich die Bougies sehr wirksam, bei deren Anwendung man aber, wofern man sich ihrer in einer Hoden-geschwulst bedient, mit einer weit größern Behutsamkeit verfahren muß —. Denn wenn durch sie ein größerer Reiz hervorgebracht wird, als zur Wiederherstellung des Ausflusses erforderlich wird, so verschlimmern sich alle Zufälle —. v. Abhandlung über den bösartigen Tripper und die venerische Krankheit von Benj. BELL, aus dem Engl. Leipzig 1794. 1. Bd. p. 299.

Duplici sub ratione origo gonorrhoeae diuturnae consideranda mihi esse videtur; aut glandulae mucosae justo majorem spissoriam fluidi copiam fecerunt, aut lymphatica vasa labefactata, in glandis praecipue regione penis frequentiora, functiones suas haud adimplent; unde versus ostium urethrae lente et continuum laticis limpidi stillicidium observamus, quod a mucoso illo fluido et quoad sedem et quoad consistentiam plane diversum videtur.

Utrique autem malo cereoli medentur, sub diversa tamen applicandi ratione. In illo enim statim crassiusculi adhibeantur cereoli, ut levis quedam inflammationis species oriatur, qua excitata vis vitalis glandularum muciparum mutatur, et copiosior, qui excitationem sequitur, muci effluxus confessum evanescere solet. Posteriori autem in casu majori adhibita praecautione cereoli immittendi sunt, cum urethrae ostium ultra modum sensile crassiorum cereolorum applicationem non nisi magno excitato dolore, admittit. Tenerimi ideo et quidem mitissimi feligantur cereoli, qui apte immisso sensu stillicidium minuunt, crassitque parum aducta tandem plane tollunt, et lymphaticis vasis pristinum robur reconciliant. Hoc assertum ex propria, exigua quidem observationum penu, testari possum, cum in juvene fibra tenerima praedito, qui gonorrhoeam perpeccus erat, virulentam talis laticis effluxum cum dolore atque levi ostii urethrae rubidine coniunctum observavi. Injectiones vario modo paratas,

adhi-



adhibitis simul internis remediiis quae omnia frustra tentata tandem rejici et in cereolorum usu auxilium petii. Tenues linteos primum atque oleo expresso bene oblinitos immisisti, quorum continua applicatio dolorem una cum effluxu feliciter sustulerunt.

Cum ex hisce et similibus cereolorum facultas vasis pristinum robur reconciliandi elucescit, observationes etiam Cl. DESAULT haud male hic locum mereri videntur, qui non solum gonorrhoeam benignam, manustuprationis sequelam sed etiam pollutiones nocturnas adhibitis cereolis curasse testatur u).

e) Ischuria interdum ab alio etiam impedimento mechanico provenire possunt, quo catheteris denegatur immissio, ubi vesicae punctura haud statim facienda sed chordarum immisso primum tentanda est, quae intromissa saepius viam dilatant eamque catheteris applicatione aptam reddunt —. Huc quoque illa a calculis, ut mechanico impedimento orta ischuria referenda est. Urethram enim in foemini ita cereolis dilatare poteris ut extractio calculi per eam facile evadit, quod autem propter nimiam urethrae angustiam in viris efficere vix licet x).

Insuper in neonatis si meatum urinae leviter quodam impedimento v. g. muco tenaci obstructum invenimus fortunato cum eventu chordarum tenerimarum applicatione iis succurrimus.

Infu-

^{a)} DESAULT Journ. de Chir. T. I. v. RICHT. chir. Bibl. 12. Bd. p. 124.

^{x)} LE DRAN chir. Gutachten p. 105.

f. Fistulae perinæi tam ex stenochoria urethrae, quam aliis urinae effluxum impedientibus caussis ori-ri possunt, quæ, cum alio modo neutiquam sanationem admittunt, priusquam eorum removemus caussam, nostri etiam instrumenti auxilium necessario postulant. Hac ex retentione, vesicae, et si ejusdem sphincter a propellente urina superatur, posterioris partis urethrae repletionem, et, quam inflammatione tandem excitata, abscessus sequitur, enasci liquet. Nulla certe hoc in casu fistulae contingit medela, nisi urinae liberum procuramus effluxum. Cum igitur catheteris immissionem persæpe impossibilem experimus, cereoli, iique ex chordis parati, in urinae meatum primum immittendi sunt, quo sensim dilatato atque effluxu restituto, sponte saepius consolidatur fistula, egregiis id nobis observationibus satis superque testantibus y).

g. Producuntur interdum in intestinis, ac frequentis in recto callosae scirrhosæque angustatio-ues quæ terribilem non raro morte inferunt z).

Morbo tam intricato chirurgus quidam gal-
lus a) varia praescribit instrumenta, dilatando huic
loco

y) FOOT Abhandl. über die Lustseuche und Urinverhalt,
1. Theil, p. 347. 401. sqq. LE DRAN I. c. p. 169.
CAGNION in DESAULT Journ. de Chir. T. I. vid.
RICHT. chir. Bibl. 12. Bd. p. 91. THEDENS Bemerkun-
gen 2. Th. p. 30.

z) CL. REILII memorabil. clinic. Vol. I.

a) Histoire de societé de médecine T. IV, p. 141. sqq.

locò infervientia, quae, cum nonnisi in intestini recti angustatione adhiberi possint, non multum semper auxilii praestabunt, praeprimis si pars laesa eo gradu est indurata, ut rumpatur potius quam dilatetur, licet et omnia gravis ejusmodi morbus tentanda nobis suadeat.

DERRECAGAIX et BOULET b) hisce in scirrhosis angustationibus, quibus teste DARANIO foeminae praesertim premuntur, turundis, intestino recto caute immissis, non exiguo cum aegrotorum levamine utebantur, atque DARANIUS plures eorum integros restituisse asserit c).

Has locum obstructum sensim dilatando, vires suas cereolorum in modum exseruisse patet, ideo forsitan, cum eorum forma aptior videtur, illis si non auteponendi, eadem tamen spe salutis sunt adhibendii.

Hic etiam intestinorum volvulos merito adducimus, qui versus anum saepe descendentes vix sponte evolvuntur, haec quae in regione siti cereolis paulo crassioribus reprimi possunt. Idonei autem magis videntur cylindri elastici d), qui crassiusculi clysteribus deserviunt (biegsame Klystierrörchen) atque iis haud dissimiles nonnihil longiores sunt confecti. Simile quoque instrumentum, necessaria praeditum

b) RICHT. chir. Bibl. 12. Bd. p. 140. 306.

c) l. c. p. 147.

d) vid. PIKELS Verzeichniß wichtiger Fabricate in RICHT. chir. Bibl. 13. Bd. p. 281.

ditum longitudine, ad detrudenda corpora peregrina, in oesophago haerentia, adhiberi potest, aut eo carente simplicibus utimur candelis cereis aptam in formam reductis.

§. 32.

Cum autem hucusque cereolorum virtutes praevalentes ad amolienda impedimenta, mechanice urinæ iter praeclientia posuimus, scitu quoque haud indignum esse existimo, quomodo illa cognoscantur, et ab aliis urethrae vitiis discernantur. Constat eni, spasmus, uti omnes corporis partes, ita quoque urethram occupare posse: hinc etiam inter coarctationem urethrae vel ab impedimentis mechanicis, de quibus hucusque locuti sumus, vel a causa spastica pendentem rite distinguendum esse; præcipue cum spasticae affectiones cereolorum usum respuere solent. Quae signa huc facientia exponenda mihi sunt.

1. Ad morbum prægressum, ut in quounque alio morbo, itaque quoque in hoc potissimum respicere juvat. In omni enim aegro, qui difficultate mingendi laborat, et virulentam gonorrhœam percessus est, cum vehementi præfertim inflammatione conjunctam, hoc malorum genus suspicari licet. Praeterea morbus, si pendet a causa venerea, pedetentim augebitur, contra autem spasmodis obnoxii illico iis corripi solent.
2. Quoad præsentem statum inquirendum est, utrum urethrae cereolorum ope exploratio ad-

mit.

mittatur, an molestiae iis admotis augeantur? Urethrae enim orificium in spasmis interdum hiat, si posterior ejusdem pars constricta est, admoto autem stimulo sese contrahit. Non minus ex doloris sede morbi naturam dijudicare licet, qui in mechanico impedimento non nisi unum urethrae locum afficit, in spasmis autem totum sere membrum occupat. Accedit tumor, qui licet externe non semper appareat, tangente tamen dito, quo etiam dolor loci angustati augetur, detegendus. Optimum quoque symptoma, quod mechanica impedita plerumque comitari solet e) nobis praebet mucosus ex urethra effluxus, quem si observamus, certe sperare licet, fore, ut aegrotus ex cereolorum applicatione haud parvum levamen hauriat.

§. 33.

Haec de vario cereolorum usu, quantum vires sufficerint, satis dictum esse mihi videtur; licet multa adhucdum reicta sunt, quae vel ob inopiam temporis vel defectum librorum hac de re tractantium cognitioni meae se subduxerunt. Pauca igitur, quae ad contraindicantia redigenda sunt, adnotabo.

Post urethrae incisionem (Gallis boutonnire) cereolos non minus, quam catheteres duplcem ad finem varii commendavere medici; partim ne in vulneris cicatrisatione urethra nimis angustetur, partim ne sanatio, urina vulnus semper lambente, retarde-

tur.

e) BELL vom Tripper, 1. Bd. p. 214.



tur. Verum hanc medendi methodum potius damnandam, quam ulteriore in usum provocandam judico, cum vulnus, dilatatione instrumenti perpetuo irritatum, consolidationi potius resistit. Si autem interdum, quod quidem negare nequimus, vulneris sub curationis fine, aut eo jam plane sanato urethram angustiorem invenimus, nunc in cereolorum apta applicatione eandem jure medelam, quam in alio angustationum genere sperare possumus f).

Quamquam in testiculorum affectione, a praecedente gonorrhœa orta, cereolorum caute applicatorum effectum laude extulimus, nihilo tamen minus, ubi eorum tumor a frigore externo, contusione aut a metastasi quadam, deficiente venerea causa, progenita ab eorum usu abstineamus necesse est g).

Vix autem a me exspectanda, quamvis necessaria admonitio illa est, ut inflammationem aut statum nimis irritatum, aut spasticas contractiones obvenientes apte primum adhibita medela debellare studeamus, nisi tentata cereolorum immissione aegrum cruciare magis, quam adjuvare volumus. Verba insuper immortalis STOLLII de iis, quae in adhibendis cereolis huic quoque viro necessaria videbantur, adjungere mihi licet: „Examinandum — an constrictio co- „arctatioque urethrae, an vero prominentes carnes „aut cicatrices nodosae adsint, ut, si facta adcura- „tior diagnosis sit, scire possimus quid potius non

face-

f) BELL Chir. 2. Bd. p. 258. fq.

g) BROMFIELD I. c. p. 464.

„fa cere expediat, quam ut incerti de morbi natura
 „per varias, et sibi non raro quam maxime oppositas
 „methodos absque certa lege vagemur h).

S E C T I O IV.

MODUS, APPLICATIONES, REGULAE-
QUE DE IPSORUM USU.

§. 34.

Quoad ipsam cereolorum applicationem sequentes
 hic regulas sequi chirurgum oportet. Elegatur cereolus longitudinis et crassitie sufficientis (hanc autem ex urinae radio facile desumere poteris) et inungatur oleo amygdalarum. Quo facto chirurgus dextra aegroti lateri assidens, penem in pollicem et digitos manus sinistram apprehendit, eumque paululum antrorsum trahit, ita ut cereolus extensam urethram intrans nullo modo ipsam ejus tunicam laedere possit. Deinde manu dextra cereoli apicem in ipsam urethram immittit, donec ad morbi sedem pervenerit; ibi autem nonnisi modica vi utitur ad penetrandum locum angustatum, et si hoc modo penetrare nequit, extrahere cereolum et postridie alio experiri debet, tenuiori apice praedito. Ipse autem aeger vel stare femoribus divergentibus et genibus inflexis, vel dorso jacere debet, ut perinaeum sit liberum.

§. 13.

h) MAX. STOLL Rat. med. Vol. I. p. 157.



§. 35.

Per coarctationem illam cereolum non directe intrudere, sed terebrando illum inter pollicem et index moderata non nisi vi ingerere debet chirurgus, immo quoque ubi resistentia vehementior est, vim sufficientem adhibere potest. Saepe quoque non nisi cum aliquo agroti dolore renitens illud vinci potest. Praecipue autem chirurgus adeo fortem pressionem cavere debet, ut sanguis ea concitetur, et simul ac tale profluvium sanguinis oritur, candela statim extrahenda est, et tunc non nisi post aliquot dies, ubi hocce vulnus urethrae jam sanatum esse intelleximus, iterum adhibenda i). Neque desperandum est post irritum periculum primum, quia saepius experientia docuit, stenochoram fortasse ob spasmos supervenientes pro incurabili habitam, bis vel ter repetitis experimentis superatam esse. Quodsi cereolus ultra e. g. in vesicam procedere debet, eadem, quae in catheterismo, applicationis methodus adhibenda est, et quoque, si cereus in regione perinaei haeret, dígito eum incurvare et deinde ultra protrudere possumus.

§. 36.

Angustatio urethrae non ubique totum ejus ambitum tenet, sed plerumque non nisi unum latus occupat. Hic cereolus in alteram partem transferendus

est

i) TERRAS in Journ. de med. chir. et Pharm. Tom. XXX.
afferit sanguinis profluvium interdum valde cereolorum
immissionem expedire, quod me judice in varicosis so-
lum vaio. um dilatationibus exspectandum.

est k). Sin autem plures ejusmodi loci obstructi hic sedem habent, urinae via ita incurvatur, ut difficultum, imo saepe impossibile sit cereolos introducere.

§. 37.

Cereolum ne in vesicam illabatur, vel ex urethra excidat, ligamento ad glandem affigimus. Inflectere eum, ut aliqui faciunt, nunquam debemus, quia pars illa inflexi irritatione sua mucum acrem versus glandem et praeputium dicit. **BELLUS** I) flectit cereolum et marsupiolum inducit peni, quod cereolo nexum et zonae circa corpus ductae affixum est.

§. 38.

Temporis spatium, per quod cereolum in urethra relinquere debemus, eo irritationis, quam in urethra producit, gradu defumere debemus. Simulac enim dolores et affectiones nervosas concident, eximendi sunt. In genere autem notandum est, quo diutius cereoli in urethra relinquuntur, eo validius quoque eos malum debellare. Quare initio per semihorium circiter, postea autem, si urethra stimulo assuefacta est, per aliquot horas ibi linquendi et omni quinquehorio aliis mutandi sunt. Candela, qua semel usi sumus, nunquam ultra immittenda est. Urinam reddendi cupidio, quae initio immisionem cereoli sequitur, post aliquod tempus etiam evanescit. Prima vice non altius eum intradere debemus, quam ubi experiendo certiores facti sumus, contractionem illam

pene-

k) **BELL** Abhandl. vom Tripper, I. Bd. p. 227.

I) l. c. p. 244.



penetratam esse. Qui longius progrediuntur, locum illum coarctatum nimis extendunt, et urethram praeter modum irritant.

§. 39.

Quod si malo quodam fortuito candela illapsa sit, et in ipsam penitus vesicam pervenerit, non alia via, nisi forcipe a cl. Default invento extrahenda m) nil supereft, quam ut lithotomia eam educamus. In urethra autem haerentem unco vel modo nominato forcipe apprehendere possumus, vel, si hoc nobis non licet, incisio semi pollicis longitudine instituenda est.

§. 40.

Quamdiu cereolus in urethra haeret, aeger omnem motum, quem poterit, evitare debet, quo efficitur, ut vel ipse cereolus mechanico modo urethram irritet, et inflammationem concitet, vel massa ejus constituens dehiscat et eundem statum proferat. Sunt, qui per noctem cereolum in urethra relinquendum esse perhibent, quod vix illis, qui somno placido gaudent, et erectionibus non valde obnoxii sunt, multo minus autem iis, qui motus et erectiones in somno patiuntur, concedendum est. In genere praefstat eos per noctem rejicere. Alii cereolum in pene relinquunt, si aeger urinam reddit, quod interdum quidem aegro caute mingente sine damno fit, nullo modo autem omnibus suadendum est.

§. 41.

m) RICHT. Bibl. II. Bd. p. 419.



§. 41.

Praeterea aliqui cereolos usque ad vesicam immitti jubent; quod autem nonnisi in iis faciendum esse existimo, ubi bene explorata urethra eam ubique patere depehendimus, saltem tam alte immissi statim extrahendi sunt, ne aliqua pars mallaee ceraceae inde dehiscat, et (ut supra jam monuimus) calculo nucleum praebeat; praecipue cum in intumescencia prostatæ vix aliquid prosint cereoli, et candela usque ad vesicam immissa ex stimulo suo in veru montanum intumescientiam testiculorum haud raro concident, quare in hoc casu saepius per aliquot dies eorum usus est evitandus, et fomentationes externæ adhibendae sunt.

§. 42.

Quando eorum usui finis sit imponendus, difficile determinari potest. Saepe enim urina jam naturali radio prodit, et in ipsa urethra nullum amplius impedimentum invenimus, nihilominus tamen morbus redit, si cereoli usus tempore nondum idoneo inhibetur. Quare morbo jam sublato cereoli usus continuari debet, et eo diutius, quo violentior ipse morbus fuit. Saltim eos statim immittere debet, ubi primum aliquod mali vestigium deprehendit.

Saepe enim ex refrigeratione, ex motu nimis fatigante et ex nimia retentione urinae reditus morbi effici potest, et praecipue hoc fit in varicosis urethrae vasorum extensionibus, ubi aliqua aestuatio subito dysuriam excitare potest. Quod ubi fit, æger lecto

decum-

decumbere, clysteris atque venefectionis usu et cereolorum applicatione redditum illum sanare debet.

§. 43.

In perfinaciōri casu aegro suadendum est, nē spem boni eventus amittat; quia cereoli sint unicum et praestantissimum hujus mali remedium. Quodsi autem omnia incassum experimus, tunc omnino vel tota urethra coarctata et coalita vel pluribus incrassationibus lateralibus ita incurvata, ut cereolus non directe immitti et rite agere possit. Interdum meliori successu gaudemus, si post inquisitionem illius curvaturae apicem cereoli inflexione suavi, prominentiae congruente, instruimus, terebrando et cum aliqua vi eum immittimus, vel elasticum cereum adhibemus. BELL cel. n) vix ullam coartationem se securasse affirmat, quam hoc modo non superasset.

n) 1, c. p. 258.

T H E S S.

1. Vires vitales effectus sunt certorum materiei elementorum ipsiusque mixtionis.
2. Sensus partis immediatam nervorum presentiam minime demonstrat.
3. Uterus humanus neque ex fibra musculari neque ex tela cellulosa, sed ex proprio fibrarum genere constructus est.

Halle, Med. Diss., 1805

ULB Halle
004 359 232



3

VDFB

Sb.

Farbkarte #13



**CEREOLORUM
HISTORIA.
EORUMQUE
IUSUS CHIRURGICUS.**

TRACTATUS INAUGURALIS
QUEM
AUCTORITATE GRATIOSAE FACULTATIS
MEDICAE HALENSIS

PRO
GRADU DOCTORIS MEDICI
LEGITIME OBTINENDO
PUBLICÉ DEFENDET
DIE XX. MARTII MDCCXCV.

AUCTOR
IO. FRID. THEOPH. HAEGER
NEO-MARCHICUS.

HALAE,
TYPIS BATHENIENS.

